

Gr. c B. 53

Alteu. Sammelbd!

Philosoph. Teil
B. 47.

ad ac

30

DE

GLORIA

MAXIMORVM ET LABORVM ET PERICVLORVM
APVD ROMANOS INCITAMENTO
NONNVLLA PRAEFATVS

ACTVM ORATORIVM

IN

ILLVSTRI GYMNASIO REFORMATORVM REGIO

DIE XI MENSIS MAII MDCCLXXV.

SOLLEMNEM INDICIT

AD QVEM

OMNES MVSARVM PATRONOS ET AMICOS
VT SVA HONORIFICA PRAESENTIA CONDECORENT
PERHVMANITER VOCAT

FRIDERICVS CAROLVS ATHENSTAEDT

GYMN. RECTOR.

HALAE

TYPIS CVRTIANIS.



Handwritten scribble or signature in the upper right corner.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





entes ac populos in vniuersum omnes duci maximeque trahi laudis studio ad res magnas bene gerendas, neminem fugere potest, qui temporum annales rite perpenderit legendo. Atque hoc ad eo illis concedendum est magis, quod ex ista praecipue virtute eorum vis ac potentia censetur imperii. Nam nisi multorum praecceptis sibi ab adolescentia fuassissent, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi gloriam ac honestatem, in ea autem persequenda omnes labores et cruciatus corporis, omnia pericula facultatum et mortis parui esse ducenda; numquam se pro salute ciuium tot tantisque dimicationibus exposuissent. Sed huiusce rei pleni omnes sunt libri, plenae sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Multas nobis imagines non solum ad intuentium verum etiam ad imitandum fortissimorum virorum expressas, qui singuli ad laudem et virtutem aspirabant, scriptores et graeci et latini reliquerunt, quas vero hic proponere non lubet, quamuis non negandum sit, animum et mentem liberalis atque ingenui adolescentis ipsa cogitatione hominum excellentium optime conformari posse *).

*) Vid. Cic. in orat. pro Arch.



Res vero inter publicas quae adscenderunt ab orbis conditu ad summum dignitatis et humanae potentiae fastigium, nulla coepit magis efflorescere atque caput efferre altius, quam Romanorum; cuius floris et eminentioris incrementi causas iuerunt diuersas adlatum prisca ac nostrae aetatis auctores insignes. Ex quorum censu nobilis in primis sapiens ac grauis Ammianus Marcellinus nobis occurrit *), qui magnitudinis romani imperii fundamenta in virtute ac fortuna ponit, inque suspenso relinquit, virtusne an felicitas plus contulerit in tanto imperio acquirendo. Sic enim edisserit: Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura, dum homines erunt, Roma, vt augetur sublimibus incrementis, foedere pacis aeternae virtus conuenit atque fortuna, plerumque dissidentes: quarum si altera defuisset, ad perfectam non venisset summitatem. Eius populus ab incunabulis primis adusque pueritiae tempus extremum, quod annis circumcluditur fere trecentis, circummurana pertulit bella; deinde aetatem ingressus adultam post multiplices bellorum aerumnas, alpes transcendit et fretum; in iuuenem erectus et virum ex omni plaga, quam orbis ambit immensus, reportauit laurea triumphos; iamque vergens in senium et nomine solo aliquoties vincens ad tranquilliora vitae discessit. Ideo vrbs venerabilis post superbas effertarum gentium ceruices oppressas, latasque leges, fundamenta libertatis et retinacula sempiterna, velut frugi parens et prudens, et diues, Caesaribus tamquam liberis suis regenda patrimonii iura permisit. Hicne acute sane hoc innuit ac iudicat, nempe ad res tantas perficiendas necesse fuisse felicitatis et fortitudinis adiutorium; At si paulo attentius id contemplemur, facile deprehensu videtur, quod maiorem incredibilis multorum ac fere diuina virtus tam breui tempore, lucem reipublicae huic attulerit, quam belli fortuna, vt ex initiis tenuissimis tantopere succreuerit et postea quoque sua mole laborarit ingenti. Permultum sane ad eius illustrem auctoritatem illae conferebant virtutes imperatoriae quae vulgo existimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in consuecndo, consilium in prouidendo, quae tanta erant in hoc vno populo, quanta in omnibus reliquis, quos aut vidimus aut audiuimus non fuerunt.

Porro omnia apud Quirites bene et sapienter erant constituta. Si spectemus ad illorum ciuilibus militarisque disciplinae ordinem, erat profecto nihil eo dignius, nihil mirabilius; si seueritatem legum, iurium, sacrorum, magistratuum auctoritatem, consilia communia, comitia ad creandos magistratus, ferendas leges, et alia cum populo agenda; insuper si Romanorum censum nulli ante gentium cognitum, dilectum, arma, castra; si denique totum huius reipublicae statum ac conditionem, immo illam, cuius tam sollicita habebatur ratio, humanitatem,

grau-

*) Lib. XIV. hist.

grauitatem, iustitiam, continentiam, integritatem attendamus: fieri non poterat, quin haec cuncta eidem firmitatem, robur, exelsitatemque darent, vti Polybius, Sallustius, Liuius, Plutarchus et alii commemorarunt. Ipse Dio Cassius *) ad modum perspicax infert: maiores suos non domi residentes, non militiam detrectantes, non bella fugientes, non ignauiae studentes tantam urbem effecisse, sed cum et animos ad audenda omnia se digna paratos, et corpora prompta ad elaborandum in iis, quae decreuissent, haberent; cum suas fortunas tamquam alienam possessionem semper periculis obicerent, aliorum autem ditionem tamquam ad se pertinentem haud cunctanter suam facerent; cum felicitatem in nulla alia re quam sibi honestis actionibus ponerent, in otio autem degere infelicitatem putarent.

Quid? si adiungo, multos eorum naturae ipsius habitu per se ipsos fortes et graues exstitisse, apud plures autem ad ingenium eximium accessisse rationem quamdam conformationemque doctrinae: anue inde quoduis praeclarum ac singulare sollet euenire? Quis est qui negare possit, studiis ac virtute, et in primis annexis tropaeis, monumentis, triumphis, aliisque imperii fines facile amplificari et confirmari? nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, praeter hanc laudis et gloriae, qua quidem detracta, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? Certe si nihil animus praesentiret in posterum, et si quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas: nec tantis laboribus se frangeret, neque tot curis vigiliisque angeret, neque toties de vita ipsa dimicaret. Sed insidet quaedam in optimo quoque, Cicerone teste, virtus, quae noctes ac dies animam gloriae stimulis concitat; atque admonet non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam.

Quodsi igitur indagare solliciti sumus, ad quas nam res incenderit Romanos amor gloriae, quae his ex tribus constat; si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam nos viuos et mortuos maximis honoris signis dignos habet: in tam lato campo potissimum duas reperimus, nempe literarum studia et rei militaris scientiam, de quibus iam paululum edisserere iuuat. Et quod ad humanitatem, qua nobiles illi ac conspicui, de hac in praesenti non opus est verbosius agere, neque quando sedem illa Romae occupauerit; multo minus conuenit hoc loco explicare vberius, quem in addiscendis salutaribus vitae doctrinis habuerint ordinem. Nouimus enim vix ante bella punica exstitisse quemdam, qui cum laude praecipua opes ingenii ostenderit in Philosophia, Historia, Poesi, dicendi vi, ac ciuili iuris prudentia. Verum cum illucesceret Tullii ingenii splen-

*) Hist. rom. Lib. XXXVIII.



didum ornamentum, melius perpoliri coeperunt studia doctrinarum et loco esse digniore. Tum rectiora patebant omnia, seuerior educendi teneras mentes obseruabatur ratio, magnae spei ac prolixae filii expectationis rite, quod educationis anima atque omnis felicitatis caput est, ab ipsis nutriebantur parentibus; adiungebantur quoque intelligentes, praestantesque sapientiae laude homines, grammatici graeci, rhetores latini, qui ad omne quod est eximium, concinnarent liberos, pararent vitae, ac instillarent in coetu reliquorum congruentiora. Quibus scilicet hi adfuescebant tempestiue in aliorum luce versari, neque solitaria et velut umbratili pallefcere vita. Recte omnino intelligebant Quirites indolem solum quamuis illustrem non sufficere ad omnia faustis acclamationibus peragenda, nisi accederent liberales disciplinae solidae ac prosperae rerum fortiter gerendarum adiutrices. Inde, quoquis illorum in sua pueritia prae aliis emineret, concitatorisque animi putaretur, eo citius oculos et beneuolentiam ciuium in se conuerteret, quin etiam omnibus ingenii gloria antecelleret. Huiusmodi praefestinata ornamenta mentis ac suauitates nitebant in sermone et reliquo viuendi instituto Titii Pomp. Attici, de quo Cornelius ait: erat in puero praeter docilitatem ingenii summa suauitas oris et vocis, vt non solum celeriter acciperet quae tradebantur, sed etiam excellenter pronunciaret. Quam ob rem in pueritia nobilis inter aequales ferebatur clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli aequo animo ferre possent. Itaque omnes incitabat inflammabatque studio suo praecoci. Hincque rite colligi potest, quod in iis quidem qui magni olim erant futuri, a primis plerumque annis id sese exseruerit, adeo vt et ipsa aetatis initia iam altius immo quasi ad posteritatis memoriam spectarent. Rapitur quippe ad similitudinem sui excellens quaeque natura; nec sensim paulatimque generositatis promittendia: sed obstantium temporum impedimenta perumpens, animam super fortunam ostendit. Qualis spiritus Ciceronis omnes in admirationem pertraxit, et illum ipsum ludum in quo commoraretur. Tanto nae videndi adolescentem discendi cupidum et insignis ingenii desiderio tenebantur multi.

Inflammabat iuuenes romanos vehementissime aemulatio, magnum cetera ad incrementa studiorum capienda fomentum. Audiebantur quotidie multa improbari, multa corrigi, multa laudari; hinc profuerat alicuius obiurgata desidia; illinc laudata industria; et modo inuidia gloriosa, modo admiratio imitationem accendebat, quae turpe putabat cedere pari, pulcrum autem superasse maiores. Ex quo condocefandi suae domi a magistris integris, philosophis, grammaticis, oratoribus quos Romani fouerent liberaliter, siue imbuti in scholis ac plurium confesso, siue exeris in ciuitatibus Graecorum quibus matute immitterentur, perculsi ad suos reuertebantur, et inclarescendi studio flagrabant. Etenim adiungebant

gebant se clarissimo oratori latino quo uterentur paulo familiaris, a quo condicerent perorandi facultatem, ducebanturque in forum ut causas agerent felicissimo successu. Prout Quintilianus id satis comprobatur in dialogo de causis corruptae eloquentiae verbis hisce: apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina refertusque honestis studiis, deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate teneret. Illum ipsum sectari, hunc prosequi, huiusque omnibus dictionibus interesse, siue in iudiciis, siue in concionibus adfuescebat ita, ut altercationes quoque excipere, et iurgiis adesse, utque sic dixerim pugnare in praelio disceret. Magnus ex hoc usus, multum constantiae, plurimum iudicii iuuenibus illico contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid, aut contrarie dicebat, quo minus et iudex respueret et aduersarius exprobraret, ipsi denique aduocati adsperebantur.

Plerumque vero causae paruae et exiles apud centumuiros dicebantur, quibus iuuenes magis exercebant se quam delectabant. Quare Atilius in Plinii epistolis expresse dicit: *) sic in foro pueros a centumuiralibus causis auspicari, ut ab Homero in scholis. Et certe talis via ad gloriam capeendam erat tutissima, cum iuuenes auctoritati et prudentiae senum sese applicarent, ab iisque in publicum producerentur, ut ibidem virium ingenii periculum facerent atque famam aucuparentur. Eiusmodi vitae comes et gloriae conciliator Plinio fuit ipsi Corellius Rufus, de quo fatetur: ille meus in petendis honoribus suffragator et testis; ille in inchoandis deductor et comes; ille in gerendis consiliator et rector; ille denique in omnibus officiis nostris, quamquam et imbecillus et senior, quasi iuuenis et inualidus conspiciebatur **). Neque vero laudabile non hocce reputabatur apud Romanos, quando iuuenes senatus die aliquem ex patribus et conscriptis, aut propinquum, aut paternum amicum, ad curiam deducerent, adfixique valuis exspectarent, donec reducendi etiam officio perfunderentur. Qua quidem voluntaria statione et corpora et animos ad publica officia impigre sustinenda corroborabant; breuique progressu morarum in lucem, virtutum verecundia et laboris meditatione, prodibant. Sic ineuntis aetatis inscitia senum optimorum et probatissimorum, qui deligebantur, prudentia constituebatur regebaturque. Atqui nostra memoria proficiendi modus nullus praestantior est, et emergendi, quam si nobis contingit versari cum magno et igni spectato viro, qui omnia mouet ac docet; qui expertae est doctrinae; qui senio antecellit negotioso: ad cuius vitam

animum,

*) Lib. II. Epist. XIV.

**) Lib. IV. Epist. XVII.



animum, orationem, consiliumque mores se nostri exigant. Neque vero aliter sese res habet. Primam et facillimam gloriae viam adolescenti aperiat notitia Hominum clarorum, sapientum, deque republ. bene merentium: non secus ac hederam, quae validam amplexa arborem, una cum ea se erigit atque attollit. Horum praeceptis qui gaudeat, horum exemplis qui virtutum studia sectetur, ad hos qui frequens adierit, opinionem perinde asseret populo, illorum fore se similem. Ita Ciceronis ignobilem adolescentiam senatus princeps Mutius Scaeuola adrepublicam capeffendam instruxit: Cato Maior ad Q. Maximum se applicabat: C. Marius ad Caecilium Metellum: ad Sullam Pompeius, et per hos quod quaerebant quisque eorum inuenit.

Verum enimvero cum essent plura caussarum genera, quae eloquentiam requirent, multique in republica adolescentes et apud iudicem, et apud senatum dicendo laudem adsequerentur: maxima erat admiratio in iudiciis: quorum ratio duplex, nam et ex accusatione et defensione constabant: quarum etsi laudabilior defensio, tamen etiam accusatio probata per saepe est. Idcirco Lucius Crassus admodum adolescens non aliunde mutuatus est: sed sibi ipsi peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa. Enimvero accusauerat C. Carbonem disertissimum hominem, quo ipse summam ingenii admirationem consecutus est. Etiam P. Sulpitii eloquentiam accusatio illustrauit, dum seditiosum et inutilem ciuem C. Norbanum in iudicium vocauit. Praefertim autem ille modus accusationis splendidior erat; si illa reipublicae, aut patrociniis aut paternarum inimicitiarum causa suscipiebatur. Ita inclaruerunt Luculli, Cicero pro Sardis, pro M. Albutio Iulius. Medius autem, vir in dicendo diuinus, subiungit alio loco in officiis de hac re sententiam suam, et serio monet, certos omnino fines ob oculos esse habendos. Duri enim vel potius vix hominis ipsi esse videtur, periculum capitis inferre multis; id cum periculosum, tum etiam sordidum est ad famam, committere, ut accusator quis nominetur: quod contigit M. Bruto summo genere nato, illius filio qui iuris civilis in primis peritus fuit. In quo magnum fuit dedecus generi suo, qui cum tanto nomine esset patremque optimum habuisset, accusationem facitauerit ut Athenis Lycurgus. Is magistratus non petiuit sed fuit accusator vehemens et molestus, ut facile cerneret naturale quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio deprauatae voluntatis. *) Neque vero decens ac par est, eloquentiam, a natura ad salutem hominum et conseruationem data, ad bonorum pestem perniciemque conuertere.

Postea

*) Conf. Cic. in Bruto declaris oratoribus cap. 34.

Postea nobilissima quaedam pars studiorum romanorum fuit eorum recitatio quae tabellis impresserant, et de illa quoque breui dispiciendum est, quomodo instituerint captare plausus et adclamationes. Quae vero non aequae pertinebat ad adolescentes quam ad adultiores, viros et ipsos principes; quoties enim vates, historicus, aut orator composuisset carmina, historias, et orationes, non committebat, ut in publicum ederentur statim more nostrorum: sed vocabat vel amicos, vel peritos, intelligentes homines, quibus vel publice vel priuatim tanta cum cura praelegebat, uti obseruaret eorum ora, et ex signis cognosceret, placeretne, an improbarent. Ipsam vero hanc subire censuram ut immortalis perstaret ingenii memoria, non dubitauerunt doctissimi viri, Cicero, Plinius iunior, Tacitus, alii. Sin digna recitata monumenta, et lucubraciones vitae sunt laudem laturae, varia per signa id indicabatur, neque non encomiis ornabantur. Dum autem occupamur in his, non praetermittendum, centumuiros quoque cum multi essent facundi ipsi et iuris scientia insignes, non modo ad causas sed et orationes diligentes accommodasse aures, contempnere se credidisse, nisi compositae, prudenter, strenue ornateque dixerint, nec doceri tantum sed etiam delectari voluisse. Quando vero vel omnium assensu et summa cum grauitate declamarant; aut media, aut finita oratione, a centumuiris assurgentibus et tota corona laudibus efferebantur. Quare Plinius *) de se ipso praedicat: frequenter agenti mihi euenit, ut centumuirum, cum diu se in iudicium auctoritatem grauitatemque continuissent, omnes repente quasi victi coactique confurgerent laudarentque. Saepius autem ille quoque, qui pessime dixerat, maxime laudatus audiebat illud euge, bene, belle, praeclare, festiue, effecte, grauiter, beate, et sic porro, quod pecunia conducti et redempti mancipis turbam eo cogebant, quo laudarentur agentes causam. De quo Plinius: si quando transibis per basilicam et voles scire, quomodo quisque dicat, nihil est quod tribunal adscendas; nihil quod praebeas aurem, facilis diuinatio. Scito, eum pessime dicere, qui laudabitur maxime. Alio loco: sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti mancipis: conuenitur in media basilica, vbi tam palam sportulae quam in triclinio dantur. Ex iudicio in iudicium pari mercede transitur. Quamobrem alii recitantes silentium ante ponebant, neque delectabantur audientium immensis clamoribus. Et Plinius ipse: cum dico vel aliquid recito, non minus silentio quam clamore delector, sit modo silentium acre et intentum, et cupidum vltiora audiendi. Consentit cum hoc Quinctilianus: illa

vicio-

*) Lib. IX. Epist. XXIII.

**) Plinius Lib. II. Epist. XIV. Quinctil. Instit. orat. Lib. II. cap. II.



viciosissima, quae iam humanitas vocatur, inuicem qualiacunque laudandi, cum est indecora, theatralis, et seuerè institutis scholis aliena, tum studiorum perniciosissima hostis. Qua de re euenit, vt ea plaudendi licentia, quae opere tam magno feruebat, aliquando magistratum auctoritate coerceretur. Exemplo esse potest C. Albutius Silus, qui cum publico in iudicio peroraret, a liectore nimiae laudantium voces cohibebantur. Haecenus de studiis, quibus Romani enixissime dediti nomen et famam captabant.

^ Iam pergemus ad laudem et gloriam ex re militari coortam. Quam primum nostri artibus scientiisque locupletati reuerterant domum ex bonae mentis templis Graeciae: inque foro ac iudicio cum honore versati: proximum erat vt togam cum sago, et lauream commutarent cum galea. Turpe enim fore existimabant, si quando electi senatores, et ad bellorum consilia adhibiti, vel missi in prouincias cum imperio, rudes omnino et expertes bellicae scientiae essent, vnde nil nisi irrisionem contemptumque militum sibi concitarent. Hinc de Augusto constat, quod militiae laboribus assidue infueuerit, ac quidquid ad rempublicam imperia et magistratus administrandos aliquid effecerit, strenue ac pro virili didicerit. Verum non opinandum Romanos omnes ea esse mente castra secutos, vt per singulos gradus ordine darent duces, et vigerent imperatores. Pluribus satis erat, iudicium ferre posse de bello, castris atque militia. Singlari tamen prudentia hic utebantur parentes erga suos filios; non enim permittebant illis, vt gregiorum numero, qui maxima ex parte proterue et flagitiose vitam degunt, adsociarentur; sed conciliabant ipsis amicitiam et consuetudinem arctiorem summorum acerrimorumque virorum, legatorum, consulum, ac belli ducum, quorum actiones obseruarent, consiliis interessent, neque ab horum lateribus vniquam discederent. Hi vero sicuti praeterquam illum cruentum C. Marium, cuius vox barbara: litteras graecas non didici, litterati et docti erant plerumque: ita nunquam in castris vsum studiorum neglexere, quibus fortunam omnem ac salutem reipublicae suae inniti persuasi satis erant; euoluerunt potius historicorum, politicorum, philosophorum et poetarum sapientum scripta medio in armorum strepitu. Inde veniebat vt Quiritium liberi tantis exemplis incenderentur sibi que vsum disciplinae profuturae cuiuscunque promte adaptarent.

Nulla vero res magis expedit belli ducibus quam eloquentia grauis; hinc tanta auctoritate apud nostros. Testes sunt locupletes tot orationes in Liuiio, Curtio, aliisque bonis auctoribus obuiaae. Inprimis illustrissima Caesaris commentaria, ex quibus satis superque elucet, quantum illi facundia in debellando

hoste,

hoste, in rebellionibus sedandis, in animis ad proelium firmandis profuerit. Vocibus enim cum magna auctoritate coniunctis imperator sibi corda hominum attrahit, militum affectus regit, metum illis aufert, ad acrius inuadendum eos allicit, omnia pericula magna cum praecautione detegit, et victoriae praemia illis reponit. Idcirco vis dicendi apprime utilis est in bello.

Vt autem Romani libentius sequerentur castra, propofita ipsis erant praemia et ornamenta eximia. Nam re bene gesta et magna praeda reportata templa tropaeis exornabantur. Senatus supplicationes decernebat, et omnibus diis fauentibus imperatoris nomine gratias pro bonis concessis perfolui iubebat. Cuiusmodi ad Deorum puluinaria adorationes, primis in temporibus, modo vnum alterumue diem durabant, vti quinque dies, postquam Paulus Aemilius Perseum profligarat, totamque Macedoniam subegerat; sed subinde diutius celebrabantur, quoniam constat, Caesari ob ipraeclara facta supplicationes LX. dierum esse decretas; quin etiam magis ad imperatoris laureati dignitatem, quam ad numinum venerationem, temporis progressu spectabant. Quod confitetur Cicero in Lib. XV. Epist. V. Quodsi triumphi praerogatiuam putas, et idcirco casum potius quam te laudari maus; neque supplicationem sequitur semper triumphus, et triumpho multo clarius est, Senatum iudicare, potius mansuetudine et innocentia imperatoris, prouinciam, quam vi militum aut benignitate Deorum retentam atque conseruatam esse. Et quidni huic confidere velis? cui togato idem quoque honos singularis, quem nulli tali induitu antea concesserunt, tributus fuit; vti de se gloriatur in orat. III. in Catil. cap. VI. atque etiam supplicatio diis immortalibus, pro singulari eorum merito, meo nomini decreta est Quirites; quod mihi primum post hanc urbem togato contigit: et his decreta verbis est, quod urbem incendiis, caede ciues, Italiam bello liberassem. Quae supplicatio si cum ceteris conferatur, hoc interest, quod caeterae bene gesta, haec vna conseruata republica constituta est.

Triumphorum, qui post bella finita ab imperatoribus victoribus magna cum pompa in vrbe habebantur, et pro temporum ac rerum conditione differabant, externa fere semper ista ratio erat, vt Senatus, qui ad portam triumphanti obuiam processerat, anteiret, et spolia de hostibus, praeda omnis auri argentiue, oppidorum captorum simulacra, nec non captiuorum duces vincti subsequerentur: triumphator autem ipse auratis quadrigis, laurea corona, dextra ramum Apollinis tenens, ore minio illito, bulla et toga triumphali ornatus veheretur: currum insuper legati, et tribuni militum in equis et pedibus, immo etiam totus exercitus laureatus cum cantu et clamore affecaretur,



dōnec in capitolium veniret, vbi sacrificio taurino factō magnum et lautum conuiuium ab imperatore celebrabatur. Neque vero triumphus omnibus bellis confectis, nec cuiuscumque, neque quaslibet victorias secutus; sed tunc demum quando imperator saltem quinque millia hostium vna acie occidisset. Poena quoque iis minabatur, qui aut caesorum in praelio, aut amissorum ciuium falsum numerum litteris Senatui ausi essent referre. Quare de vtroque vere assignato, cum primum urbem intrassent apud Quaestores urbanos iurare debebant. Legibus quoque sancitum erat, vt pro aucto imperio, non pro recuperatis, quae Romanorum fuissent, triumphus decerneretur. Itaque nec Q. Fuluius qui Capuam receperat, nec P. Scipioni, qui postea Hannibalem vicit, ob recuperatam Hispaniam, nec M. Marcello, ob captas Syracusas, permisit Senatus vt triumpharent. Pompeius quī magni cognomento est vsus, Sulla dictatore concedente, contra leges, eques romanus adhuc triumphum egit. Inter omnes autem triumphantes nemo Caesare maior, nemo augustior, nemo sublimior. Tanta hic praestitit, tanta obtinuit, quanta vniquam expectari poterant ab vno. In quinque triumphis primus et excellentissimus est Gallicus, tunc Alexandrinus, deinde Particus, postea Africanus et tandem Hispaniensis. Per hosce dies festos populum delinuit omni arte ac sibi obstrinxit beneficiis; hic vero ad conseruandam illius gratiam summos ipsi honores detulit, sacrificia certamina, donaria in omnibus templis ac locis publicis per singulas tribus, per nationes, per regna sociorum: eius imago variis in locis ponebatur, ac quod praecipuum est, pater patriae appellabatur: dictator per totam vitam, consul in decennium, ac sacrosanctus instar tribunorum, decretumque vt ius redderet in sellis eburneis aureisque: et vt inter sacrificandum veste triumphali vteretur, quin et singulis lustris Sacerdotes ac Vestales pro salute eius vota publica facerent. Quandoquidem vero post triumphationem non exiguus honor erat, ouatio, adferemus quoque nonnulla de hac. Intercedebat inter vtramque hanc gloriam haec differentia; vt, si quis bellum non rite indictum, aut non cum hostibus, aut feruis et piratis gessisset, aut deditione repente facta, aut incruenta victoria negotium confecisset, aut sine magistratu, aut alienis auspiciis, aut in aliena prouincia aliquid peregisset, aut exercitum non deportasset, is modo ouans urbem ingrederetur. Quod erat nihil aliud, nisi vt non quadrigis sed pedibus, vel equo veltus, non senatu sed equitibus romanis praeeuntibus, non tubis sed tibiis praecinentibus, non laurea sed myrtea corona redimitus iniret, non gestaret sceptrum, neque taurum sed ouem in capitolio immolaret. Tali modo Publ. Postumius Tubertus consulatu suo myrto coronatus ouans incessit de Sabiinis.

Huc

Huc quoque referri potest, quando ipsis ducibus et belli acerbis iuuenibus in sanctioribus locis statuæ ponerentur. Nulli facile contingebat istius modi decus ac honos, nisi rempublicam sua prudentia subleuasset, ornasset amplificasset, aut ingens detrimentum ab illa auertisset. Omnium instar hic esse potest Scipio Africanus, vir et sua ætate et posteriori tempore nemini secundus; cui diuinum quiddam inesse existimabatur, adeo ut cum diis sermonem putaretur habere, cuius merita pari laude cohonestare annitebantur. Itaque illi statuas ac imagines in comitio, in rostris, in curia, in ipso capitolio et Iouis optimi maximi sacrario facere non defuerunt. Porro Curii etiam, qui extrema, cum uxores, liberi, parentes, quidquid domi esset, quidquid esset in exercitu morte eorum niteretur, non timerent, verum adirent pericula et de vita dimicarent, his gloriæ signis coornati sunt. Et quid dicam de Horatio Coclite altero capto oculo, qui stans in ponte, solo scuto et amore libertatis armatus, vno animo ast ingenti ac inuincibili, totum Porfennæ sustinuit exercitum, donec fracto ac rescisso ponte, lacero corpore saluo eo ipso animo et armis tiberim traiecit, et in vrbe quæ tum recens partæ libertatis templum erat atque hospitium se stitit; nonne hic merito expressam atque politam virtutum suarum effigiem in orbis terræ memoriam reliquit? Sic quoque Bruto prisci Romani in capitolio mediam inter reges collocauere statuam ex aere, quæ strictum tenebat enssem, quod patriam liberam voluisset, et fortissime regno pepulisset Tarquinos.

Imo nec paucis imponebantur cognomina, quibus hostes fuerant celebrati. In his eminentiore fama gaudet C. Marcius, qui a Coriolis oppido captis Coriolanus dictus est, et ob diuiciarum despicientiam et summam in tanta felicitate modestiam valde insignis est. Pari laude effloruit M. Val. Coruinus, qui, dum consul semel atque iterum bello punico primo transgressus in Siciliam Messanam urbem cepit, inde mutata littera Messala vocatus est. His associari potest P. Corn. Scipio ab vrbe deleta Numantinus appellatus. Alii de magnis et opulentis prouinciis, quas in suorum potestatem redegerant nomina ad huc splendidiora acceperunt, uti Scipio Africanus, de quo Lilius perhibet: *) Africanum cognomen militaris prius fauor an popularis aura celebrauerit, an sicuti felicitis Sullæ magnique Pompeii patrum memoria coeptum ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certe hic imperator nomine victor ab se gentis est nobilitatus. Exemplo deinde huius nequaquam victoria pares, insignes imaginum titulos claraque cognomina familie fecere. Quod autem Appianus in bellis suis punicis de hoc et Annibalæ memoriam

*) Lib. XXX. cap. 45.



tradidit, paululum gloriae eius ob nimiam vanitatem detrahit. Videlicet hos inter ambos, in Gymnasio quodam, mentionem factam esse de claris imperatoribus multis adstantibus, et Annibalem a Scipione rogatum, quisnam primus fuisset, regessisse, Alexander Macedo; Scipionem tunc in eo acquieuisse, quod illi cederet. Non diu post rursus hunc scire voluisse quem secundum existimaret, et tum nominasse illum Pyrrhum Epirotam, quod audaciam putaret virtutem ducis praecipuam. Quo facto Scipionem iam moleste ferentem ex eo quaesivisse, cui tertiam tribuerit palmam, sibi procul dubio sperantem; at mihi ipsi respondisse ille fertur: nam iuuenis Hispaniam perdomui; Alpes superavi cum exercitu primus post Herculem; Italiam vobis trepidantibus ingressus; everti quadringenta oppida; urbem vestram non semel adduxi in extremum periculum; non pecuniis non suppetiis adiutus a meis Carthaginensibus. Tandem Scipio hominis magniloquentiam abrumpens irrisit, subiecitque: Quoro igitur loco poneres te ipsum Annibal, si a me victus non esses? et hiccine iam animadverso affectu aemuli, inquit: Alexandro me anteponerem. Quo omnino Scipioni dissimulate blanditus est, ac si is Alexandro praestantior vicerit. En duces gloriae nimie cupidos! Pari modo exsplenduit, huius nostri frater L. Scipio, ab Asia debellata, Asiaticus nominatus, prout Q. Metellus a Macedonia, Macedonicus, et Nero Claudius Drusus a Germania, Germanicus. Posterioribus vero temporibus factum, ut principes, qui gentem aliquam neque bello neque alio modo vicerant, immo saepe ne viderant quidem, nomen tamen illius induerent, paterenturque se vocari, Parthicos, Germanicos, Gothicos, et sic porro. Notissimus ob hanc vesaniam est Domitianus, cui Germanicum appellari volupe erat; in nummis enim eius nomen ita occurrit: Imperator. Caesar. Domitianus. Augustus. Germanicus. Quem titulum post triumphum falsum de Germania celebratum assumpsit, quique adeo placuit ei, ut septembrem mensis exemplo Augusti Germanicum dici voluerit. Sed alia referre hic non praestat. Porius eos adhuc attingamus, qui per eventus quosdam singulares nomen suum illustrius reddiderint; et quis non statim recordatur Titi Manlii, qui Gallo cuidam eximia corporis magnitudine, vnum ex Romanis ad pugnam lacescenti, tanta virtute obuante processit, ut illum mox deuictum et humi prostratum, torque cruore respergo spoliaverit, indeque sibi et posteris nomen Torquati compararit! Ne dicam de Q. Fabio Maximo, qui cunctando, quod nollet praelium inire, et hostem suum per Falernos Gauranosque saltus maceraret morando, nomen adeptus est cunctatoris.

Expensis nunc et perponderatis praemiis quibusdam Romanorum maioribus; alia adhuc paulo minora, quae longinquitas et iniuria temporis facilius oblitte-

litterare potest, nobis consideranda veniunt. Huc praesertim cogites ad laudes, militibus fortibus aut omnibus, aut singulis nominatim ab imperatore datas. Quam primum enim praelium commissum, exercitus autem eximie se gesserat, duces, parva victoria, suggestum aut tribunal conscendentes omnes pro singulari virtute laudibus aliisque donis afficiebant. De quibus nemo egit elegantius Polybio dicente: *) Pulcre autem iuvenes excitant et prouocant ad pericula subeunda. Quum enim occasio se dat, et quidam illorum fortiter aut strenue egerunt, convocans imperator in concionem omnes copias, adiungensque sibi eos, qui auctores egregii facinoris fuerunt, primum quidem laudes eorum edisserit, et super hoc factum, et si quid aliud in omni vita gesserint memoria dignum. Post haec ei quidem, qui hostem percusserit, hastam donat; qui vero deiecerit et spoliauerit eum, pediti nempe phialam, equiti phaleras, olim hastam tantum eamque puram i. e. sine ferro. Quo respicit illud Virgilii: **) pura iuuenis qui nititur hasta. Hoc autem in signe non vlli dabatur, nisi supra modum se bene meritorum reddidisset. Et certe nulla tanta est humilitas et obscura ignobilitas quae non dulcedine gloriae tangatur. Cum autem apud Romanos tam multae viae ad gloriam, tantaque praemia proposita: profecto omnes fere studuerunt praevalere in rebus bellicis. Neque mirum est, quod Roma lux aliquando orbis terrarum, arx gentium, regum et nationum domicilium, nec non potentissima rerum domina fuerit, cum virtus tanto in pretio esset, ut vnus alterue ex grecariis ad fastigia summa peruenire valeret.

Restat adhuc pauca de coronis, ut honorificis praemiis et ornamentis, afferre in fine huius libelli. Militares autem coronas multifarias, earumque nobilissimas fuisse, triumphalem, obsidionalem, civicam, muralem, castrensem siue vallarem, naualem siue rostratam, legimus in Gellio. Et quod ad triumphalem, clarissimis imperatoribus propter victorias fuisse missas et datas, elucet ex loco Suetonii in vita Augusti Cap. XXV. Sciendum quoque hoc, quod et palmas lemniscatas vna acceperint. Lemniscos vero fasciolas purpureas dependentes ex coronis fuisse, docet Plinius, et Plutarchus in Sulla, vbi dicit: apparuisse Sullae ad Tarentum sacrificanti iecur coronae figuram habens, duorumque dependentium lemniscorum. Quales coronae passim in nummis veterum conspiciuntur vel per se expressae, vel in capitibus imperatorum, vel in victoriae manu. Sequitur obsidionalis, quam reportabat is, qui liberaret cinctam et coarctatam ciuitatem ab hostium obsidione, consistens ex gramine eodem in loco generato, in-
tra

*) Hist. Lib. VI.

**) Lib. VI. Vers. v. 760. Aen.



era quem clausi erant qui obsidebantur. Tale decus frontis accepit a S. P. Q. R. Q. Fab. maximus quod urbem Romam obsidione hostium liberasset bello Poenorum secundo. Omnia vero reliqua exempla in se comprehendit L. Sicinius Dentatus, qui et Achilles cognominatus; cuius opera ac honores excedere ultra veri fidem possent videri, nisi ea certi auctores, quos inter praecipue Varro et Dionysius Halicarnassensis, monumentis suis temporum mandata esse voluissent. Produnt enim hi, centies et vigesies in aciem descendisse, eo animi atque corporis robore utentem, ut maiorem semper victoriae partem obtineret; spolia XXX ex hoste retulisse, quorum in numero octo exstitisse, cum quibus inspecante utroque exercitu ex prouocatione dimicasset; XIV ciues ex media morte raptos seruasse; XLV. vulnera pectore excepisse tergo cicatricibus vacuo; totius ciuitatis oculos in se numerosa donorum pompa conuertentem nouem triumphales currus secutum esse; antelatas illi aureas coronas VIII, ciuicas XIV, murales III, obsidionalem vnam, torques CLXXXIII, armillas CLX. hastas XVIII, phaleras XXV, aliaque ornamenta, quae dese ipso praedicauit apud Quirites *). Diuiniore omnino hos fuisse impetus Dentati et plane heroicos, neque quo ferretur altius vllam occasionem suppetuisse, nemo temere inficias ibit. Insolitae alia virtutis romanae quae fuerunt exempla praeclara, non permittunt adduci paginarum nostrarum angustiae. Dicamus igitur quoque de ciuica, quam quis in praemium et testimonium vitae ac salutis conseruatae alicui daret, et nisi id quidem vltro faceret, eo cogeretur a tribunis. Venerari enim, ille qui seruatus erat, alterum per omnem vitam ut parentem, eidemque omnia conferre debebat, ut si genuisset. Peregregia extant verba Senecae in hanc rem: *) nullum ornamentum principis fastigie dignius pulcriusque est, quam illa corona ob ciues seruatos. Et sententiam Scipionis, qua ille enunciaret, malle se vnum ciuem conseruare quam mille hostes occidere, multi frequentasse dicuntur; at quis ignorat, iure an iniuria. Hoc insigni honore conspicuum fuisse Cn. Marc. Coriolanum Plutarchus in eius vita sic enarrat: Marcus strenue dimicans, in conspectu dictatoris, militem rom. qui prope eum fusus humi erat, non deseruit sed protexit, hostemque interfecit. Ideo victoria dux potitus illum inter primos corona donauit quercina. Haec enim ei, qui ciuem redemerat, de more dabatur, seu quod quercum potissimum coluerint Arcadam causa, qui glandiuori sunt ab oraculo appellati, siue quod facilis vbique fuerit ducibus huius arboris copia, siue quod sacram Ioui vrbium praefidi coronam quernam rite dari seruato ciue censuerint.

Neque

*) Dionys. Hal. Lib. X. Valer. Max. Lib. III. Cap. II.

***) Seneca Lib. I. Cap. I. de Clem.

Neque sicco pede transire licet coronas murales in eum collatas, qui pri-
 mus murum subiisset, inque oppida hostium vi penetrasset, easque idcirco muri
 pinnis condecoratas. Erant autem, uti triumphales, ex auro constatae, quibus
 iam decimo et septimo aetatis anno Manlius Capitolinus emicuit. *) Huic finiti-
 ma castrensis, ob valli insigne vallaris quoque denominata, et ad eum pertinens,
 qui primus hostium vallum ingressus fuisset; cuius praetium aequae magni facien-
 dum erat, ita ut Scipio eadem suos adhortaretur ad propugnandam Carthaginem
 Hispanicam **). Denique fulgorem atque auctoritatem peperit etiam Romanis
 illa naualis auro coruscans, quam scilicet ille reportaret, qui maritimo adfuisset
 praelio, primusque in navem hostium transisset armatus. Quamvis enim res na-
 uales sub initium pertenuerent, ita ut hi nostri aliis gentibus, Graecis et in pri-
 mis Poenis, vltro principatum concedere tenerentur: attamen procedente tem-
 pore in tantum excreuerunt, ut facile deinceps essent superiores, et victricibus
 suis armis timorem inicerent populis bellicosissimis. Non multum ab hac specie
 differebat rostrata, qua solum digni, qui nauale aliquod magnum decus, aut vi-
 ctoriam eius generis, omnibus viribus intentis consecuti essent. De qua constat,
 illam ipsis ducibus exhibitam, et aliquatenus assimilandam esse ciuicae et obsidio-
 nali. Hinc Suetonius de Claudio cap. 17. contendit: Romam rediit, triumphauit-
 que maximo apparatu. Ad cuius spectaculum commeare in urbem non solum
 praesidibus provinciarum permisit, verum etiam exsulibus quibusdam; atque in-
 ter hostilia spolia naualem coronam Palatinae domus iuxta ciuicam fixit, traieci-
 que et quasi domiti oceani insigne. Haec sufficiant de Romanorum incitamen-
 tis ad res vehementer arduas benegerendas, et ipsa mortis pericula adeunda. Et
 inde facile collegeris, non heri demum aut nudius tertius, amorem nominis concele-
 brandi humanos inuasisse animos; sed praesens mortales cum suo orbe prope recen-
 tes acrius luctatos esse ad aeternitatem; neque facile ullam gentem tam arctis termi-
 nis circumscriptam aeuum suum, ut non longius duraturam famam quam vitam sibi ex-
 optaret. Litteris igitur et armis per aspera ad astra tendebant. Et sicuti dehinc summum
 obtinuerant imperium Romani, ita quoque hismetipsis stabilire illud ac dilatare cu-
 pide allaborabant. Probe enim cognitum habebant, se per illa a barbaria vitam
ad

*) Liv. Lib. VI. Cap. 20.

**) Polyb. Lib. X.



ad emendatiorem, et ab ignorantia ad cultum humanitatis variamque doctrinam traductos esse. Hac solum ratione maxima ac splendidissima ingenia commovebantur, ad laudem immortalitatemque nominis adspirandam; hac ratione, vera ac perfecta gloria stabilique benevolentia afficiebantur omnes ii, qui anteire caeteros virtute putarentur, et cum omni carere dedecore, tum vero iis vitijs, quibus alii non aequè possent obistere; hac inquam ratione despiciebant et contemnebant, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil neruorum; immo in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura conspici poterat. Sed haec haecenus. Iam pergentes ad finem huius libelli propius determinandum, coronidis loco adum oratorium in nostra bonarum artium mercatura, cum iuventute spe patriae habendum indicimus, cui vt velint frequentes interesse, eoque tirones ad maiorem diligentiam et aemulationem incendere, ne, omnibus rite suppeditatis, sibi ipsis defuisse videantur in vlla arte ac scientia, omnes ac singulos, qui modo cum musis et cum doctrina aliquod commercium habeant, suauiter ac modeste inuitamus.

Rur.

Kurzes Verzeichniß, wie die Redner auf einander folgen, und was ihre Vorstellungen enthalten.

- 1) Johann Ernst Emanuel Pfau, aus Bernburg, handelt von dem Einfluß der Musik auf die Erziehung und ihrer Anmuth in müßigen Stunden, deutsch.
- 2) Friedrich Wilhelm Leopold Moriz Groschopp, aus Berlin, besinget nach dem Milton die Himmelsstürmer, und den gerechten Eifer Gottes gegen diese Empörer seiner Hoheit und Rechte, in deutschen Versen.
- 3) Georg Friedrich Pochhammer, der Aeltere, aus Berlin, bemühet sich den weit ausgebreiteten Nutzen der Mythologie in Künsten und Wissenschaften darzutun, deutsch.
- 4) Emanuel Wilhelm Gottlieb Moritz, aus Bernburg, redet von der guten Erziehung junger Frauenzimmer, und kleidet dieses in Lehren ein an eines erdichtete Dorilis, in deutschen Versen.
- 5) Johann Julius Benjamin Bobbe, der Aeltere, aus Scheuder im Desfauschen, stellet die nachtheiligen Folgen des Luxus in Absicht auf die menschliche Gesellschaft vor, deutsch.
- 6) Georg Friedrich Günter, aus dem Bernburgischen, schildert unter der Verwandlung des Schmetterlings seine künftige grosse Veränderung, und verfällt darüber in einen entzückungsvollen Traum von den fernem Gefilden des glücklichen Elysiums, deutsch: poetische Prosa.
- 7) Christian Lebrecht Gottfried Kretschmar, aus Zelle, sucht die gehörige Einrichtung und Vortheile guter moralischer Romane genau zu bestimmen, deutsch.
- 8) Friedrich Wilhelm Zankwitz, aus Reichlitz in Sachsen, belustigt sich in einer poetischen Erzählung an dem seltenen Glück eines wider Willen der Minerva gewordenen Arztes, deutsch.

9) Chri

- 9) Christoph Lebrecht Zaupner, aus dem Bernburgschen, mahlt das grausame Bild des Jorns mit aller furialischen Begleitung, in einem lateinisch heroischen Gedichte.
- 10) Wilhelm Heinrich Böchhausen, aus Berlin,
 Johann Georg Haupt, der Aeltere und } aus Hamburg.
 Carl Conrad Haupt, der Jüngere
 unterreden sich in einem deutschen Gespräch über die sinnlichen Lustbarkeiten, und untersuchen ob Schauspiele, Bälle, und andere dergleichen Dinge erlaubt sind oder nicht.
- 11) Christian Wilhelm Pochhammer, aus Berlin, lobt in einer deutschen Ode das Angenehme und Reizende eines Waldes im Frühling.
- 12) Franz Heinrich Ludewig Wilhelm Bobbe, der Jüngere aus Scheuder im Dessauischen, betrachtet die erhabene und standhafte Seele des Weisen im Glück und Unglück.



00 A 6277 (1/40) ✓

ULB Halle 3
002 837 331




TA-OL

v. p. 18

Reho ✓





30

DE
GLORIA
T LABORVM ET PERICVLORVM
MANOS INCITAMENTO
INVLLA PRAEFATVS

ORATORIVM

IN
NASIO REFORMATORVM REGIO

I MENSIS MAII MDCCLXXV.

SOLLEMNEM INDICIT

AD QVEM

RVM PATRONOS ET AMICOS

CA PRAESENTIA CONDECORENT

HVMANITER VOCAT

CAROLVS ATHENSTAEDT

GYMN. RECTOR.

HALAE
PIS CVRTIANIS.

